

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6917

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Valéry-sur-Somme, Saint-Valéry (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1163...

Lieu d'émission : Westminster

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation des biens anglais de l'abbaye de Saint-Valeri ; rajeunissement d'une charte de Henri Ier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCXXXIII, t. 1, p. 372-374.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 373.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglie, dux Normannie et Aquitanie, et comes Andegavie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem. Sciatis nos (sic) concessisse et presenti carta confirmavisse Deo et ecclesie Beati Walerici et monachis ibidem Deo servientibus in perpetuum et liberam elemosinam omnes terras et tenementa sua, et omnes decimationes dominicorum suorum, et omnes donationes que donate sunt eis in elemosinam vel donabuntur, videlicet Thacheleiam cum pertinentiis suis, Wallam et Daneseiam cum pertinentiis suis, Withitun. et Lindeshel. cum pertinentiis suis, Meldeburn. et Bireghang. cum pertinentiis suis, et quicquid habent in Manghedene et in Bolituna et in Machinges et in Canevelles, ecclesias etiam de Histeleurde et de Hestim., et de Twiceham et Hantun., et quicquid habent apud Hento[n] vel alibi. Nulla autem persona parva vel magna per debitum seu per consuetudinem aut per violentiam aliquid ab hominibus et terris et possessionibus predicti monasterii exigit, non equitationem seu expeditionem, non pontium, non castrorum edificationem, non veicula, non sumagia, non vectigalia, non navigia, non opera, non tributa, non xenia, non lestagia, non tidingpeni, non tunpani ; et habeant quietantiam de exartis et wastis nemorum. Nullus vero forestarius domini regis quicquam sc intromittat de boschis abbatis et monachorum qui sunt in foresta, sed omnem libertatem quam habet dominus rex in boschis suis habeant et monachi in omnibus boschis suis. Et sint ipsi et homines eorum et res ipsorum absoluti et liberi a danegeldis et omnibus geldis, et hidagio et portagio et passagio, et theloneo, et auxilio vicecomitum et prepositorum, et wardpani et omni alia exactione et consuetudine, in nundinis, in foris, cujuscumque sint, in terris, in aquis, in transitibus pontium et maris portuum per totam Angliam et Normanniam et per totam terram meam, in omnibus rebus et in omnibus locis ; sintque abbatis et

monachorum de hominibus suis et de alienis in eis forifacientibus vel ibi cum forifacito interceptis placita omnia, cum soca et saca, et thoh et theam et infongenetheos (sic), et hutfongenetheos (sic), et hamsocca, infra burgum et extra, in viis, in semitis, et in omnibus locis ; habeantque abbas et monachi in tota possessione sua omnem justiciam de assaltu et sanguinis effusione et pacis infractione ; sintque liberi et quieti de schiris et hundredis, et placitis et querelis et omnibus consuetudinibus. Prohibemus etiam ne pro aliqua causa ponantur in placitum de tenementis suis, nisi coram me, nec quicquam teneatur de donationibus que facte sunt per non sapientes abbates de terris et tenementis Sancti Walerici, nisi confirmatione conventus et sigilli ejus appositione. Volumus igitur et firmiter precipimus quod predicti monachi hec omnia predicta in omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quietantiis predictis bene et in pace, libere et quiete et integre habeant in perpetuum, et honorifice teneant.

Testibus : Ricardo de Luci, Thoma Cantuariensi archiepiscopo, Gilleberto Londoniensi episcopo, Hugone Dunholiniensi episcopo, Bartholomeo Exoniensi episcopo.

Apud Westmonasterium.